47

nouissimum. quo conuertitur. Tunc ergo diui
det. & tunc intelliget diuidendam esse lit
teram a spiritu. & tunc cognoscet. quia littera
occidit. spiritus autem uiuificat. & tunc inci
piet facere. quod tota die meditans ante non
fecit. Moraliter quoque nichil aliud occur
rit ille homo quem supra diximus in
BENIAMIN. ut ut lupus rapax celorum diri
pit regnum. Uim enim patitur regnum
celorum & uiolenti rapiunt illud. & illa
que in lege & prophetis. et euuangelio le
gerat. uelut esuriens & rapax inuadit.
& cum in hoc tempore. uelut in matu
tino hanc predam diripuerit. adueni
ente iam mortis uespera. incipiet diuidere
spolia. hoc est diuersis laboribus incipiet
possidere diuersa premia. que post quam inimicos prostra
uerit. uelut iam uictor habere merebitur.
Cur autem iacob omnes quos genuit deli

© Universitaire Bibliotheken Leiden
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/ublei_bpl196/0097